

curij vulgi, loti cum sale & aceto, & exsiccato. Deinde ponatur in crucibulo super ignem, & quando Mercurius incipit feruere & fumigare, tunc statim projice medicinam tuam albam super Mercurium fusum, & tunc medicina incipit se fundere in superficie in modū olei. Deinde illud oleum citò intus ingreditur, & tunc Mercurius in colore diuersificatur, & congelabitur in forma vitri albi: quem Mercurium sic vitrificatum extrahe ab igne. quo infrigidato, sumatur vnum pondus, & projiciatur super 60. pondera Iouis fusi, tunc statim cvenient stellæ quæ citò transibunt. Tunc bene cooperati crucibulum cum carbonibus viuis, & stet in illo igne per quartale vnius horæ. Deinde extrahatis, & fundite, & erit pulcherrimum album, & delectabile.

*Sequitur modus projiciendi lapidem rubeum.*

Fundatis medium vnciam Mercurij, & dimidiā vnciam Iouis, quodlibet scorsum: deinde ponet tuam medicinam super Iouem fusum, & stet sic mixta in crucibulo aliquantulum, vt bene se incorporent: & debent esse tres crucibuli, unus, in quo est medicina cum Ioue mixta: in secundo debet esse Mercurius crudus dimidia pars vel duæ. Tertium crucibulum debet esse vacuum. Deinde medicina existens cum Ioue in crucibulo projiciatur in aliud crucibulum vacuum. Tunc statim Mercurius euacuetur ad crucibulum, vbi est medicina cum Ioue, vt benemoueat, vt bene permisceatur. Deinde totum reponet ab igne, & permitte infrigidari extra ignem. Alia verò crucibula semper stet ad ignem. Et cum Mercurius fuerit infrigidatus, medicina euacuetur in crucibulum vacuū. Deinde euacuetur aliud crucibulum, in quo fuit medicina, & apponatur Mercurius. Et sic semper procedendum est; quo usq; medicina conge lauerit Mercurium: quo congelato in vitrum rubrum & diaphanum, & transparens, huius vitri rubri ponatis vnum pondus super 44. pondera Iouis fusi, & erit valde bona proportio. Et faciatis cum eo eodem ordine, quo supra fecistis in proiectione medicinæ albæ. Et est notandum, si est metallum frangibile, tunc debetis plus addere de corpore imperfecto, scilicet de Ioue vel Saturno,